

01

A

6630

154.

196 C

137

1. Teller topice scripturæ.
2. Dathe de Origene interpretationis libron. s. grammaticæ autor.
3. Ernesti de difficultatibus N.T. recte interpretandi.
4. Remihi de difficultate interpretationis grammaticæ N.T.
5. Kipp antiquitat. hermeneut. ex Testuliano, quibus N.T.
lora quaedam illustrantur.
6. Hellwagen de iuxa hermeneutad locor. parallelor. exemplis ex
N.T. petitio illustrato.
7. Hellwagen de iudicio miraculorum etc.

I — v — e

TOPICE SCRIPTVRAE

Q V A M

IN ACADEMIA IULIA CAROLINA

M O D E R A N T E

G V I L I E L M O A B R A H A M O
T E L L E R O

T H E O L O G I A E D O C T O R E E T P R O F E S S O R E O R D I N A R I O
P A S T O R E P R I M . A D A E D . D . S T E P H A N I E T
S V P E R I N T E N D E N T E G E N E R A L I

A . D . X X X I . M A R T I I A . C . c l o C C L X I I .

D E F E N D E T

C H R I S T . A V G V S T . H E N R . G R V N E R V S
G V E L P H E R B Y T A N V S

H E L M S T A D I
L I T E R I S D R I M B O R N I A N I S

TOPICÆ SCRIPTRÆ

LEON. DEMETRII CALOPINÆ

DE PELLICO

CLIPERIO ALEXANDRO

THELPHY

THEOPHILE DOCTORE IN SCIENTIAE OBLIGATIONE

PASTORÆ PETRI AD AED. STEPHANI ET

SATURNILIANDENTÆ CINQUEVII

A.D.XXXI MARIÆ V. E. CCCXXII

DITTRICHÆ

CHRIST VACANT HERB GRANERA

CAUTLITISSATAS

HELMATIÆ

ETATIS DICTYOTOMINIS

VIR O
SVMME VENERABILI ET AMPLISSIMO
IO. FRIDERICO GVILIELMO
IERSALEMO
DOCTORI THEOLOGO ABBATI RIDDAGSHVSENO
PRAEPOSITO MONASTERIORVM SANCTAE CRVCIS ET
EGIDII SERENISSIMI DVCIS BRUNOVICENSIS
CONCIONATORI AVLICO CVRATORI COLLEGII
CAROLINI REL.

 *Et si, VIR imprimis VENE-
RANDE, plures erant cau-
sae, quae me non tam mo-
uebant, quam impellebant, ut de hoc
libello*

libello TIBI inscribendo cogitarem, at-
que in his praeter communes illas, quae
aliis omnibus pietatis singularis in TE,
Theologum excellentem, esse solent in-
citamenta, multae etiam mibi propriae;
ipsa tamen argumenti propositi ratio
pondus earum mirifice auxit. Nam
sive haec, quam tradere institui Topi-
ce, aliis ab auctoritate eorum, qui eam
suo exemplo commendent, amabilis red-
di debeat; sive mibi eam edocenti, tan-
quam in loco salebroso prudenti mo-
nitoris consilio opus sit; sive deni-
que aliquis expetendus, in cuius iudi-
cio

cio vera monens, cum suauitate acqui-
escere possim: facile TV, VIR VENE-
RANDE, primus mibi eras, a quo haec
omnia magna cum fiducia peterem.
Patere itaque ea, qua omnes superas
et quam ipse expertus gratus memini,
humanitate, vt hic meus libellus a No-
mine TVO amplissimo atque venerando
commendationem apud alios accipiat vt
que ego publice TIBI significem, quan-
topere TVVM iudicium venerer et per
omnem meam vitam veneratus sim.
Quis enim hoc non admodum libenter
faciat, et, vt quam diutissime possit, ex-
optet,

CATHARINA VDRANIAZ ET ILLA

optet, in tanta Nominis TVI fama, si
TE vel nunquam coram viderit graui-
terque de rebus omnibus differentem
audiuerit, quae tamen etiam nuper mea
fuit felicitas. Ut adeo nihil mihi de-
esset eorum, quibus studium meum in
TE colendo venerandoque, excitatum
iam diu, nuper confirmatum, sic mirum
in modum augeretur

VENERANDO NOMINI TWO

addiclus

GVILIELMVS ABRAHAMVS TELLER



TOPICES SCRIPTVRAE CVRRICVLVM SECUNDVM

§. I

Curriculi secundi breuis descriptio.



ostquam nunc paullisper tanquam in diverticulo requieuimus, illuc porro proficiscamur, quorsum proxime dicit propositum iter. Sed enim hic dura nobis imposita erit necessitas loca eiusmodi peragrandi, quae et nulla amoenitate oculos capiant ob incultam terrae superficiem, et sint periculi plena ob eorum, a quibus inhabitentur, indoctam superstitionem. Etenim, quae in superiore curriculo accurate disposita et usui rerum apta deprehendimus, in hoc valde depravata et ad quorundam tantum gustum eumque non satis delicatum efficta reperiemus; quaeque ibi vidimus

A

veluti

veluti thesauros recondita, hic animaduertemus aut plane perdita, aut certe male collocata. Dicí enim non potest, quam male omni tempore locis iis, quorum vniuersam indolem antea ostendimus, vñsi sint et quam sterilem ex iisdem, minus recte intellectis, disputationem effecerint ii ipsi, quibus propositum esset, veram doctrinæ christianaæ rationem aliis tradere, aut aduersus homines profanos defendere. Quod hoc maiorem in perniciem rei christianaæ factum esse et fieri etiamnum certum est, quo maiori doctrinæ specie tale studium se commendat, ob eorum etiam, qui in eo regnant, auctoritatem. Itaque nos ostendemus ab iis parum recte fieri, siue quis varios modos cogitet, quibus in diligendis his locis pccare soleant, siue causas animaduertat, ex quibus eiusmodi vñs temerarius et pessimus delectus oriatur. Quia vtraque disputatione consequemur sane hoc, vt non solum in re tam ardua cautius versari dicamus, verum etiam vt superior disputatio amplius illustretur confirmeturque. Erit enim saepius ad eam recurrentum, praecipue, quod attinet ad illam partem, in qua efficiimus, vt ii solum loci in vere probantibus doctrinam christianam habeantur, qui sint de consilio Spiritus sancti tales et huius consilii certa atque evidenter signa adiuncta habeant.

§. II

Enarratio variorum modorum Locis Scripturarum sacrarum abutendi.

Si nunc primum hoc quaeramus, quibus modis in vñsi atque delectu locorum probantium erretur, facile erit

erit eos omnes ad certa quaedam genera reuocare, quibus singulis singuli comprehendantur. *Aut* enim locis probantibus iis vtuntur, qui non sunt; *aut* cum sint, veram ad probandum vim non ostendunt; *aut* porro hanc ita ostendunt, ut maiorem iis tribuant, quam quae vere insit; *aut* denique ex singulis Scripturarum libris, minoribus quoque, totum corpus doctrinae cogere volunt. De his omnibus nunc curatius agemus.

§. III

Primi modi abusus qualis et quotuplex?

Iam illud per se intelligitur in eo, quem primum fecimus, Scripturarum testimonii abutendi modo, non tam hoc agendum esse, vt omnibus pateat haud temere eum a nobis in reliquis numeratum esse, quam potius ostendendum, quibus praecipue in locis Scripturae appareat et quam variae iterum multaeque eius formae sint. Pertinet enim hoc quam maxime ad eiusmodi disputationis subtilitatem sitque hoc magis necessarium, quo maior hic deprehenditur erroris quoque subtilitas. Nam sic omnes facile concedunt in religionis controversiis, siue docta et accurata in eadem institutione nihil magis alienum esse, quam si quis locis non vere probantibus vti velit. Idem tamen, cum in rem praesentem ventum est, nihil tale cogitantes miscent, quae suis locis relinquenda erant; ad suam causam trahunt, quae ad aliam pertinebant; sensum denique extorquent, quem ipse eorum anxius labor plane alienum esse clamat. Placet itaque locos quibus primo hoc

A 2

modo

modo abuti solent, denud sic partiri, vt sint *alii* ex iis probantes quidem, sed non eius, quam velint doctrinæ; *alii* iterum, qui nihil omnino probent, tantum abest, vt confirmant id, quod maxime quaerunt. Vtrumque, quale sit, exemplorum luce manifestum fieri.

§. IV

Confirmatio abusus, qui in locis alienis a re proposita cernitur.

Itaque locis infirmis, tanquam probantibus male vtruntur *primum* ii, qui aliud eorum argumentum esse statuant praeter hoc, quod de sententia Spiritus Sancti in iis querendum sit. Atque hoc multis accidere videmus in locis Scripturarum sacrarum his, quos *narrat* *τὴν διάβολον* probantes diximus. (§. VII.) Nam cum hic totum iudicium ad interpretationis leges certas atque vnice veras dirigendum sit, mirum omnino esset, si recte iis vterentur, quibus tam multa desint ad recte interpretandum. Ut enim vel maxime non ignorant illas leges, tamen aut ea facilitate ingenii carent, vt loco cuiuis aptas semper in promtu habeant, iisque in tempore uti possint; aut sunt ita iniqui, vt, quod ante decreuerint inuenire, etiam facile inueniant; aut tandem patrii moris amore sic capiuntur, vt crimen putent eum deserere. Vnde toties eos videmus uno verbo arrepto, quod in proposito arguento alibi usurpatum legissent, totam reliquorum seriem explicando ad illud trahere, et si quis coacte ab iis fieri clamet, ei auctoritatibus magno-

magnorum Virorum silentium imponere. Sunt vero loci eiusmodi κατὰ τὴν διάνοιαν probantes, quibus sic abutuntur, iterum, vel in quibus dogma aliquod proponitur atque confirmatur; vel quibus futuri cuiusdam evenitus praedictio continetur. Ut rorundque etenim ratio haec est, ut, qui non bene subactum iudicium ad eos interpretandos secum adferat et virtutes interpretis omnes comites sibi adiungat, aut plane nihil intellecturus sit aut minus cogitaturus, quam orationis ambitu comprehendatur, aut etiam plus, quam per fines ab ipso Spiritu Sancto positos liceat. Sic, ut paucis quibusdam exemplis utamur, in locis *dogmaticis*, quibus hac ratione abutuntur, ponendi sunt ii fere omnes, quos ad Trinitatis mysterium confirmandum e Vet. Test. adferre solent, quod ita euicit *Georgius CALIXTUS*, Helmstadiensis olim Theologus in primis clarus, in sua, de *quaestione, num mysterium Trinitatis ex solo Vet. T. libris possit demonstrari*, disputatione, ut mirum sit, tantas lites ei propterea mouisse eos, qui venerari debuissent eius doctrinam. Nam quod ad τριάδιον Iesaiæ attinet, consuetudo Ebraeorum plane non patitur, ut ex eo argumentum satis certum de personarum diuinarum trinitate efficiamus, estque hic nihil aliud quaerendum, quam descriptio plane incomparabilis sanctitatis diuinæ, quae magis significanter fieri non poterat. Est enim emphasis non tantum in verbis pluribus simul summis, sed etiam in verbo eodem bis aut ter repetito. Et quomodo tandem aliter Dei tanquam perfectissimi entis sanctitatem oratione breui comprehendere possint Ebraei? *Omnium longe sanctissimus Deus exercituum est, si latinis auribus loquendum sit, recte dixeris.* Sed si

A 3

hanc

hanc φράσην in ebraicum conuertere velles sermonem atque eo perfectissimae huius sanctitatis notionem exprimere, quomodo id faciendum putares? Nempe plane sic, ut cum choro coelestium illorum Spirituum exclamet: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus exercitum.* Estque hoc ita verum, ut nihil etiam in nostro vernaculo sermone frequentius sit, quam ob vim orationis augendam et vehementissimi affectus sensum exprimendum tria repetitione verbi eiusdem vti, ut sit saepe in declamationibus sacris, si vel maxime locus non adeo postulet. Latet praeterea in vniuersa forma huius angelorum orationis singularis quidam ornatus, qui ex modo Veterum Ebraeorum canendi explicandus sit, a nemine, quod ego quidem animaduerterim, obseruatus. Etenim vis φράσεως קָדוֹשׁ הוּא קָדוֹשׁ haec est, ut significet, eos alternatim cecinisse, sic ut primus chorus inciperet *Sanctus*, secundus ei responderet *Sanctus*, et idem vocabulum deinde repeteret tertius, tandemque omnes simul canerent *Deus exercitum* et quae sequuntur. Cogitur itaque ex his, quae paucis diximus, ut hac tria repetitione in accurata institutione in doctrina sanctissimae Trinitatis, aut in defensione eius aduersus malignos homines, tanquam de sententia Sp. S. probante, vti non possimus, et si pie id sit a multis apud eos, quibus iam persuasum sit hoc venerandum dogma verissimum esse, ut sic admoneantur de eo, et rem omnem ingenii humani vim superantem quasi in luce istius visionis positam videant. Eodem porro loco habenda est oratio Dauidis *Hymno XXXIII, 6.* Hic omnia vincunt ut credamus, ea proprie utendum esse in articulo de *Creatione*. Itaque male eadem utuntur in primario fidei capite de *Trinitate*, tanquam

quam ex loco proprio, confirmando. Nam primum locus alius deest, in quo *Filius Dei* appelletur; רְבָר יְהוָה; neque λόγος Iohannis huc trahendus, cum certum sit, eum ex sapienti consilio diuini Spiritus graecam hanc appellationem ob aduersariorum sui temporis, de quibus David non adeo cogitare poterat, vanas atque fictas de Deo assertiones, elegisse. Deinde non minus linguæ atque contextui repugnat, Spir. S. רוח פֿוּ dici, atque inde absurdum hoc sequeretur, eum ex ore Patris procedere, qualem tamen processionem eius, cuius in hoc loco argumentum praeterea quaerunt, existimandam esse, nemo affirmare audeat. Tandem plane non appetet, unde trium personarum probare velint mentionem fieri, cum aperte duae tantum nominentur, quarum prior sit רְבָר יְהוָה, posterior, רוח פֿוּ. Patris itaque qualis hic mentio? Quaerunt quidem eam latentem in nomine יְהוָה, quod pendet a verbo רְבָר. Sed enim ego adeo acutus non sum, ut cum iis quod semel tantum sit, bis aut varia sub forma videre possim. Crederem forte, si dixisset:

בְּיְהוָה שָׁמָּךְ בַּעֲשֵׂנוּ

וּבְרוּכָו כָּל צְבָאָם

וּכְרוֹתָה פֿוּ כָּל הָאָרֶץ

Etsi neque tunc reliquæ difficultates sublatae reperirentur. Atque vti hae omnes prohibent, quo minus credamus, Spiritum Sanctum, inde certum pro Trinitate argumentum sumi voluisse, ita sensus nobis probati facilis, elegantia, sublimitas; haec omnia, inquam, et multa alia cogunt, vt, quam diximus, omnipotentiam diuinam in creationis miraculo deprehendendam hac carmi-

carminis particula celebrari, certum habeamus. Ut enim raceam sensus facilitatem, quae sumto hoc per se patet, quae tandem maior esse poterat elegantia parallelismi sententiarum in utroque commatis membro? Quam non verbum verbo, sententia sententiae respondet! Audi tantum!

ברבר יהוה ברוח פיו

per mandatum Domini, per halitum oris eius

שמים (נעשו) כל צבאם

coelum creatum est, uniuersa eius natio creata est.

Verbum enim **נעשה** sic ex consuetudine Ebraicae Poëseos inter utrumque membrum aequaliter diuidendum. Vide porro, quam sublime dicendi genus hic regnet. Dixerat, *per mandatum Domini, cui omnia mox parent, omnia facta sunt.* Sed nondum hoc satis ad intelligentiam, vel potius, adumbrandam illam omnipotentem vim. Itaque porro dicit: *imo per halitum oris eius creata sunt.* Intelligisne δεινότητα narrationis Mosaicae, *Iussit Dominus fiat lux, et oriebatur lux?* Coecus esset, qui in re tam aperta non videret illam narrationem hic in animo habuisse Dauidem, præcipue cum paullo post ipsa fere verba Mosis excitet,

הוא אמר ויהו הוא צוה ויעمر

Enimuero nulla amplius de hac interpretatione relinquentur dubitatio, si cum hoc loco comparemus primum περιφρεστῷ verbi per **כל־מויזא פיו**, id quod exit ex ore, Deut. VIII, 3, deinde sermonem propheticum Es. XI, 4. In priore loco LXX graeco verbo ἐκπορέεται vtuntur, quod in N. T. de Spiritu Sancto adhibetur. Numne etiam hic affirment Spiritus Sancti mentionem fieri?

Itaque

Itaque si hoc non possunt, neque apud Dauidem debent. Sunt enim רוח פָו et רוח כָל dueae periphrasticae verbi constructiones, notionem eius eodem modo indicantes, ita tamen ut prior sit ἐμφατικός. Ad posteriorem quod attinet, quis dubitet רוח שפטין ex interpretatione Apostoli 2 Thess. II, 8. πνεύμα τοῦ σκοπος αὐτοῦ, esse verbum Dei iudicis potentissimum. Nemo profecto, nisi mire pertinax. Adeo enim parallelismus apertus inter רוח שפטין et antecedens פָו sententia damnatoria terram terrebit mandato omnipotente impium interficiet. Sed dum longiores suimus in vero vtriusque loci sensu explicando, ut hoc manifestius fieret, male in probanda Trinitate locos eiusmodi usurpari, quibus argumenta vere diuina aliorum dogmatum continentur, verendum omnino, ne multorum inuidiosae obtricationes multo longioris excusationis molestam necessitatem nobis imponant. Nunc, etsi hoc ipsum disputandi periculum non admodum timemus, tamen locus is, quem tractamus, totum illud ingredi vix patitur. Itaque paucis his satisfaciemus quaestioni vniuersae, quae olim acerbus inter Theologos nostrae ecclesiae facile primarios acta est, de reuelatione Trinitatis mysterii in Veteri Testamento; cum essent, qui eam certo atque ad intelligendum satis clare propositam etiam eo tempore fuisse affirmarent, alii qui perobscure id factum crederent, et amplius alii qui totum negarent, vel certe, an vlla de hoc dogmate reuelatio in loco vlo Veteris Testamenti reperiatur, subdubitarent. Est vero primum mihi hoc certissime persuasum, quaestionem, si adeo negetur, propterea tamen aduersarios non euicturos esse, id, quod inde ab iis conclusum fuisse constat,

B

fidem

fidem nimis aliam Veteris Testamenti temporibus ad
 salutem propositam fuisse. Poterant enim Messiam cer-
 to futurum credere, et si de ejus persona non adeo per-
 fectam ut nos habebant cognitionem. Neque ex eo
 sequeretur, ut plane de salute membrorum illius Eccle-
 siae dubitandum sit, cum salutis causa non credere co-
 gamur ea, quae minus reuelata sint, et fides nostra tum
 demum doctrina quadam tanquam fundamento nittatur,
 cum patefacta sit, et quia a Deo sit patefacta. Huic
 itaque si placuisset, nihil certi in V. T. de Trinitatis do-
 gmate proponere, non minus tamen eo tempore viuen-
 tium saluti sapienter prouidisse existimandus esset. At-
 que nescio, quid ei certi possit opponi qui dicat, hu-
 ius rei reuelationem quibusdam tantum sigillatim da-
 tam neque omnibus communem fuisse, cum facile fieri
 potuisset, ut populus ad cultum plurium Deorum hoc
 facilius delaberetur, in quem ingenio suo semper val-
 de ferebatur. Rursus plane non video, quid adeo
 sibi velint, qui roties dicunt, factam quidem esse reue-
 lationem huius mysterii in Vetere Testamento, sed non
 aequi claram cum ea, quae in Nuovo reperiatur. In
 quo enim obscuritatem hanc querant, edoceri velim.
 In ipso profecto mysterio non poterunt, cum id tale
 sit, ut a nullo homine vñquam aniino comprehendendi pos-
 sit. Itaque in reuelationis modo. Sed reuelatio obscu-
 ra rei longe obscurioris quomodo in sapientiam atque
 bonitatem Dei Optimi cadat, si semel eam dare decre-
 uerit, non video. Atque vereor, ne ipsi quoque hoc
 non explicare possint, tanquam qui saepius affirment,
 res ipsas in Scripturarum libris, et si aliquando ca-
 ptu humano longe superiores, tamen verbis claris atque
 ad

ad intelligentiam aptis propositas haberi. Tandem et hoc addamus, in vniuerso hoc arguento tractando ut plurimum testimonia V. T. laudari, ex quibus tamen de certo quodam numero personarum diuinarum non constare possit, vtut plures in iis personas deprehendi concedamus. Iisque hoc ipse IVSTINVS in Dial. cum Iudaen Tryphone fassus est, quando (§. 62) affirmat, in oratione illa diuina Genes. III, 22. plurimum mentionem fieri, moxque addit, καὶ τὸ ἐλάχιστον δύο, aut certe duorum. Sed redeamus ad propositum. Ut vero de locis, quōrum abusum valde frequentem esse diximus, hoc accuratius iudicium fieri possit, addamus adhuc alium huic rei probandae aptum. Habetur is *Hymno CIV. 4.* Hoc disticho omnes vti solent in docto etiam sermone de angelis ad nescio quam eorum velocitatem probandam, cum tamen vnicce ad caput de *creatione* eique adnexum alterum de *prudentia* pertineat. Quod quam verissimum sit claram fiet ex his, quae nunc pacis dicemus. Primum itaque ipsi, qui de angelis hunc locum interpretantur, recte praecipiunt, verbum hebraicum שָׁמָךְ non esse naturae nomen, sed officium, vt adeo saepius de aliis inanimatis quoque rebus usurpetur et in carmine inprimis, quale hoc est, eleganter ponatur. In eo itaque cum nobiscum consentiant, experiamur, an eosdem in tota interpretatione nobis consentientes reddere possimus. Ea itaque haec est: *Qui ventis quoque angelis utitur et igne atque fulguribus ministris.* Est enim hic maxime animaduertendum, subiecta esse רוחות לְהַט שָׁנָה, et praedicta מֶרְאָךְ, מִשְׁרָתָה, per transpositionem admodum, in libris Poëticis inprimis frequentem. Cogit porro vniuersum carminis argumentum, vt hoc verum esse statuamus,

mus. Propositum enim est maiestatis omnipotentiaeque diuinae effectus, in opere creationis et prouidentiae deprehendendos, laudibus celebrare. In his insigniorum numerare non poterat, quam hunc, ex quo manifestum fieret, Deum etiam rebus inanimatis vti posse in maximis rerum mutationibus efficiendis, atque easdem eius nutui et imperio parere. Tandem vero clarissimum est, vti auctorem carminis diuinum his verbis tanquam loco communi, ex historia sacra et praecipue apparitione Dei in Monte Sinai (*Exod. XIX, 16. sqq.*) petito. Ibi clare audit tonitrua, vides fulgura (ברקם apud Mosen, in nostro vero loco per periphrasin אלה אָשׁ) terrent turbines, adeoque etiam nunc intelligis, quam eleganti et magnifico ornatu poëtico *venti* et *fulgura*, *angeli* et *ministri* diuinorum consiliorum dicantur. Sed opponent mihi credo, quibus mea non placeat interpretatio, ab Apostolo factam huius loci citationem ad *Ebr. I, 7.* Atque his ita respondebimus, vt dicamus hac magis nostram, quam communem reliquorum interpretationem confirmari. Etenim nihil plane dixisset Vir diuinus, si haec vera sit. Quae enim tunc vis probandi Iesu Christi p[re]a angelis praerogatiuam remaneret? Et qualis conclusio, si ponamus, eum dixisse, *angeli quidem*, affirmante Scriptura Vet. Test. *sunt veloces et lucentes a Deo creati, sed Christus cum perpetuo imperio omnibus rebus praeest!* Quam non contra aperta concludendi ratio haec, quae ex nostra interpretatione ducitur, *Scriptura Angelis*, aut etiam de Angelis *dicit*, *VENTIS QVQQUE ANGELIS VTI TVR ET EVLGVRIBVS MINISTRIS*, vt adeo intelligatur illorum ministerio ipsi non adeo opus esse. Sed de Filio dicit, *IMPERIVM TVVM PERPETVVM EST*, quo signi-

significet, Deum unigenito filio non posse carere tanquam qui ipse sit Deus rexque summus atque sapientissimus. En! argumentum adeo subtiliter nexus atque conclusum, vt nihil supra. Atque possemus facile multis aliis locis in re, quam propositum probanda vti, maxime etiam eo, qui ex Ies. VIII, 19 et 20 vulgo adfertur, vt probent, Scripturam Sacram unice veram et certam fidei regulam esse, cum tamen totum caput inde a commate nono et praeципue decimi sexti sententia, ratio praeterea proposti argumenti; haec omnia, inquam, planissime ostendant, referendam esse orationem ad caput de Christo, huncque doceri auctorem et largitorem omnis verae salutis esse, sed vel ex his satis intelligitur, vsu venire in locis dogmaticis Scripturae multis, vt argumenta inde efficiant rei, quae plane in iis non reperiatur affirmata. Quod porro ad propheticos attinet locos, in his si dicamus, multo frequentiorem esse lapsum eorum, qui alienis a re probanda vtantur Scripturae testimoniosis, hoc non adeo mirum esse debet ob ea, quae de eorum vi probante in superiori disputatione (§. VII.) diximus. Nam cum in his lateat vtplurimum verum argumentum fintque non adeo aperta eius rei, quae praedicetur, testimonia, vt non etiam alia in iis quaeri possit res, aut alius quidam eventus, solent quoque iis vtendis maxime peccare. In qua re exemplis opus non est, tanquam quibus pleni sunt Commentarii atque dogmatici libri multorum, antiquissimorum non contempnenda auctoritatis Theologorum et ex recentioribus cocceii in primis. Sic totum Ps. XIX miro artificio ad Christum trahebat ORIGENES, cumque eo IUSTINVS verissimam de aduentu Iesu Christi in mundum et eius ascensione in coelum

B 3

prae-

praedictionem eo contineri, serio affirmabat. Sed erit de his plus deinceps dicendum, quando caussas huius abusus ostendemus, et praeterea in tertia disputationis parte.

§. V

Confirmatio abusus locorum plane nihil probantium.

Sed reperiuntur etiam loci nihil omnino probantes, quibus tamen vtuntur, vt vera argumenta fidei inde efficiant (§. III.) In his itaque *primum* omnes eos numeramus, in quibus *analogica* quaedam vis quaeritur, et quorum vere nullam esse, neque de sententia Spiritus Sancti esse posse, antea (§. X.) concludendo effecimus. Etenim arcana rerum, verborum praeterea arcanis benignissimum Numen proponere voluisse, plane non credi potest. Atque sic etiam ingenio humano nescio quae fingendi audendique aperiretur occasio. Foret profecto ORIGENES in nulla re magis laudandus, quam in studio omnia in allegorias vertendi, cum nimis certum sit, eum sic semper ex analogia aliorum locorum sensus suos mysticos eruisse. Probanda itaque nobis sit ea eius interpretatio, qua in Comment. ad Hymnum XIX affirmat, sponsum e thalamo prodeuntem Iesum Christum esse. Est enim ei in promptu locus Iohannis III, 29. in quo *sponsi* appellationem ipse Seruator sibi tribuit. Quare enim credere nolles? Adeo tibi analogia. Admirandus erit lusus perquam puerilis HIERONYMI, qui lib. III. aduersus Pelagianos (Erasm. edit. Tom. III. p. 137), inde quod Iacobo, lucta superata, sol ortus esse affirmetur, argumentum petit, ex quo pateat, *Solem Iustitiae omni-*

omnibus vere piis ortum esse. Habes enim et hic analogiam. Tandem tota Cabbala Iudeorum, nobis enoscenda sit, si vel maxime plus quam barba eorum terreat! Sic itaque, simus enim et hic tenues in exemplis, si semel doctrina quaedam ex certis locis probata habeatur, male agunt, qui verbum unum aut plura aut aliam sententiam aliis loci mox arripiunt, quo probabiliter eandem probare possint. Atque eodem modo peccare certum est eos, qui ex locis mere historicis singularibusque euentibus fidei argumenta petant, patetque hoc adeo ex omnibus iis, quae superiore curriculo praecundo monstrauimus. Est enim hoc semper eiusmodi, ut cogamur a particulari ad universale concludere; ab eo, quod interdum fieri soleat, ad id, quod constanter fiat; a tandem singulari quodam miraculo effecta ad id, quod quotidie legibus naturae certis semel statutis contingat. Quoties itaque non abutuntur personis, rebus, euentibus V. T. qui toties ex iis personae Seruatoris, rerum N. T. atque euentuum certam rationem probare nituntur! Atque his utinam semper adesset alter HVNNIVS, vel potius ille ipse, quem nos summum Theologorum veneramur, moneretque eos, factos eiusmodi typos non ad probandos et fundandos articulos in certamine accommodari posse, uti hunc Aug. Confess. Theologum loquenter legimus Prolegom. in Antipareum alterum T. II. Opp. p. 831. Itaque hic idem eodem loco immolationem Isaaici, venditionem Iosephi, carceris supplicium, ex eodem educationem, exaltationem in regno, et id genus alia, sapienter ex numero typorum Iesu Christi eliminanda esse affirmat. Atque est hoc iudicium non minus transferendum ad apparitiones filii Dei in Veteri Testamento factas.

Etas. Si quis enim ex his probare velit; certam habuisse fideles eius temporis cognitionem de diuinitate Iesu Christi, plus erit in conclusione, quam in eo, quod eius causa ponitur, reperiatur. Itaque vides ab Abrahamo, cui eiusmodi quid contigerat, angelum increatum venerante, ut qui esset **נָזִיר**, ad reliquos istius aetatis homines male concludi. Idem tandem affirmandum de Noui Testamenti narrationibus eiusmodi, ut adeo mihi non probentur, qui ad fidem *infantum* aduersus Socinianos defendendam semper refugiant ad Iohannis Baptiste exemplum. Habet hic singularem eventum, qui certissime et de sententia Spiritus Sancti probet fidem veram in utero habuisse Iohannem! ut plus ex eo probes, non patitur regula ante posita. Sed potest tamen Spiritus Sanctus, si semel fidem in utero excitauit huic, omnibus infantibus eandem tribuere? Atqui hoc credo. Sed enim vincendum tibi erat ex hoc loco, hoc vere etiam fieri. Vnde vero hoc? Itaque mihi contra homines degrege *Socini* disputanti, satis erit iis dixisse, omnem christiana rationem requirere, ut adesse creditur fides in infantibus. Si sic nondum se conuictos fateantur, Apostolico verbo, Deus facere potest ὑπὲρ πάντων, ὑπὲρ ἐν περισσοῖς, ὃν αἰτήμεθα, η vocūμεν (Eph. III, 20.) aduersus eos pugnem. Si tunc amplius obstinati sint, mittam eos, tanquam qui magno cum stupore ipsa principia negent. Si quis itaque ab eiusmodi abusu sibi diligenter cauere velit, ei tenendum hoc, doctrinam fidei a Spiritu Sancto verbis seu κατὰ τὸ ἅγιον, seu κατὰ τὴν διάβολον, seu κατὰ τὴν ἔξιν probantibus edocendam esse, et sic quoque in omnibus ab eo sapientissime factum reperit. Sed satis de his, qui, quod **HIERONYMI** est
 ver-

verbum (ep. ad Paulinum T. IV. p. 3.) *ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, et non vitiostissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluptatem suam Scripturam trabere repugnantem.*

§. VI

Secundi modi abusus qualis et quotuplex?

Est nunc porro ad alterum genus huius locorum probantium abusus veniendum. Hoc vero iam (§. II.) in eo potissimum cerni diximus, si quis vtatur testimoniis veris, neque tamen, eorum vis in quo maxime sita sit, ostendat. Ut autem nunc raseamus, hoc valde solenne fuisse Patribus primae ecclesiae et flagitari maxime ab his, qui, vt latebras quaerant suae in opinando temeritatis, praecipiunt, *solis verbis Scripturae in dogmatis proponendis vtendum esse*; idem non negandum est, saepius fieri a nobis ipsis tum, cum ad illos locos Scripturae accedimus, ad quos a prima iuuentute huius vel illius rei quaerendae causa alegati sumus. Vnde fit, vt existimemus, alios mox idem in iis reperturos esse. Sed siue quis loco vtatur non probante, siue eo, cuius vim probandi non statim explicare queat, in utroque dubitari non potest, quin male eodem vtatur. Cernitur enim in utroque firma christiani hominis persuasio, qua aptus redditur cuius in loco quoquis ex Apostoli admonitione rationem fidei atque spei suae reddere. Est vero admodum facilis hic abutendi modus, praecipue in locis Scripturae eiusmodi, qui *νατὰ τὴν διάνοιαν* (§. IX) aut *νατὰ τὴν ἔξην* probantes sint. Aut enim aliquid in interpretatione illorum deest, aut in nexu conclusionis, cum eo, quod la-

C

tenter

tenter ponitur probando, in his labuntur. Atque, age, quale vtrumque sit, exemplo planum faciamus, quod primo succurrat. Sic itaque quando *Hymno CX. 7.* Mef-sias praedicitur tanquam בָּרוּךְ שַׁתָּה recte plurimi in eo descriptionem conditionis miserrimae quaerendam esse iudicant, in primisque GEIERS vitam Christi inter homines in tot periculis, molestis et perpessationibus aetiam intelligendam esse docet. Sed, si nunc ratio explicationis reddenda est et ostendendum, vnde haec vis insit φράσει usurpatae, mire se torquent et mox unum verbum maxime vrgendum esse censem, quemadmodum GEIERS; mox alterum נָחַל praeципue respiciunt; iterum alii totam rem ex verbo שַׁתָּה efficere volunt. Vnde fit, ut nemo veram vim in quo maxime lateat edocere possit. Est enim hic loquendi modus vnicē ex historia sacra explicandus, fitque aperte allusio ad euentum illum i Reg. XVII, 4. et 6. commemoratum. Nam quoniam hic ELIAS tempore eo, quo tristem et solitariam vitam agebat, iubetur מִן הַנָּחֵל תְּשַׁתָּה, et paulo post de eodem affirmatur מִן הַנָּחֵל יְשַׁתָּה, inde factum, ut sensu figurato, qui tristem vitam viuerent, dicerentur מִנְחָל שְׁתִים aut etiam בָּרוּךְ מִנְחָל בָּרוּךְ. Nam ultimum ex hebraismo redundat. Sed addamus etiam locum κατὰ τὴν ἔγγυ probantem, in quo latenter vim concludendi non satis docte eruere deprehenduntur. Erit is nobis totum caput XI ad Ebraeos. Videmus hic proponi ad fidei vere exemplum ex Vetere Testamento multos, quorum fides tamen non proxime in iis, quae crederent, ad Mef-siam spectaret. Itaque ad hanc fidem commendandam quomodo vti poterat Apostolus horum exemplo? Hic multos scio, qui se mirifice torquent, ut vincere possint, poni

poni in his omnibus fidem in Messiam, tanquam sine
qua neque hanc, ob quam potissimum laudentur, habe-
re potuerint. Sed hoc ἀτοπον plane. Dicendum erat
fieri ab Apostolo in his omnibus conclusionem *a minori*
ad maius, eumque illorum auctoritatibus vti, quoniam illis
simil summis nascitur principium hoc: *quod quis libenter*
facit in minimis consequendis, *hoc magis libenter faciat*
necessè est in maximis consequendis; aut etiam verbis aliis:
praemia aliis longe maiora, *multo maiori etiam cum stu-*
dio querenda sunt.

§. VII

Tertii modi abusus qualis et quotuplex?

Sequitur tertius, quem posuimus, modus abutendi locis
probantibus. Esset vero hic nobis amplissimus cam-
pus, in quo excurrere possimus, si adeo magna voluptate
ad se traheret in tantis culturae vitiis. Itaque eum vix
ingrediemur, vel potius ingrediemur tantum, vt quid
nobis in nostro colendo caendum sit, inde discamus.
Iam illud certissimum est, qui locorum probantium vim
praeter consilium Sp. S. ageant, eodem modo peccare,
quo soleant illi, qui eam vel minuant, vel tollant cum
adsit. Nam quemadmodum hi sapientiam, quam cognoscere
deberent, videre nolunt, quod est hominis cum
suo damno insanientis; ita illi eandem, quam ad modum
intelligentiae humanae sapientissime temperatam, sancte
conseruare deberent, mutant atque corrumpunt, quod
est hominis cum magna impietate nasutuli. Atqui sic est
omnino verissimum, nihil magis alienum esse a divina
sapientia, quam si quis hoc credat, verba, sententias,

C 2

perio-

periodos denique Scripturae Sacrae omnes, cum eum auctorem habeant, qui infinito suo intellectu omnia simul comprehendat, quae vlo modo cogitari possint, proptera etiam immensae significationis et latissimi sensus esse debere. Non enim vident nobis hominibus aliter consili non potuisse, quam sic, vt verbis vteretur Spiritus sanctus non solum notis, sed sensu etiam eo, qui iis de consuetudine hominum inesset, vtque nobis non plura simul aequa difficultia ad intelligendum proponeret, sed singula separatis in locis, quo tempus nobis relinqueretur, singula hoc accuratius cognoscendi, essetque respirandi quasi locus. Sed de eo mox plura dicemus. Nunc paucis dicamus, posse tribus iterum modis hanc vim probandi nimis augeri, sic, vt *primum* in vnius verbi significatione plus quaeratur, quam de ysu vulgariter insit; aut *porro* totius sententiae cuiusdam sensus ad totum intelligendum trahatur, cum parti solum explanandae destinatus sit; aut *denique* plura verba simul sumta, quae, eiusdem significationis, ad eiusdem rei vim augendam adhibentur, pro diuersarum notionum signis habeantur. Ut itaque in illo priori quaeratur Emphasis *verborum*, quae plane non adsit; hoc posteriori, *eadem* cum adsit, mutetur in *rerum* emphasis et in medio inter utrumque errore cum *neutra* reperiatur, *rerum* tamen quaedam adesse existimetur. Liceat enim nobis hac divisione *emphasis* breuitatis causa in hoc loco vti. Etsi enim proprie ea sola verborum est, tamen, vt intelligamus ab his, contra quos haec maxime disputamus, cum iisdem loqui necessitate quadam coacti sumus. Si vero in verbis Emphasis quaeritur, quae plane non adsit, vt sit in .compositis Graecorum plurimis, omnibusque illis,

lis, quibus tropus quidam inest, multoque magis in hebraicae linguae vocabulis, quorum aut plures significations ob fictam ambiguitatem in vnius loci interpretatione coniungi solent, aut etiam vna notio ob numeri dualis pluralisque formati nimis late extendi, est hoc eiusmodi, ut recte a nobis in hoc abusus genere numeretur, cum qui eas linguis edoctus sit aduersarius, tantum absit, ut se vinci patiatur, ut nouam potius inde occasionem arripiat, qua fidem optimam suis calumniis petat. Itaque iam hac de causa, qui vnum GVSSETIVM in hebraica lingua ducem sequantur, aut in graeca N. T. eos, quibus ea purissima videatur, nunquam habebunt, vnde satis ab hoc abusu sibi caveant. Estque hoc ita verum, ut certum est, in tradenda fidei summa omni tempore eos reliquis praestitisse, qui accurata vtriusque linguae intelligentia instructi essent. Et quis non adeo miretur, si videat in docta disputatione et in cathedra vnum saepius verbum ita in omnes partes trahi, ut vniuerso cuidam capiti probando sufficiat? Atque sic ego audivui aliquando Magnum Theologum, qui diceret, in verbo קשׁ (Hymno II. vlt.) poenitentiae dogma totum proponi. Esse enim osculum (quae est valde puerilis aliorum quoque ad h. l. interpretum obseruatio) reuerentiae, amoris, obedientiae: itaque hic nos habere contritionem in osculo reuerentiae, fidem in osculo amoris, et tandem novae virtutis necessitatem in obedientiae osculo. Miror eum non addidisse, dari etiam osculum Iudee, ex quo præterea poenitentiae simulatae rationem efficere potuisset. Est porro ficta quaedam emphasis rerum in locis, in quibus verborum ea tantum sit. Ita toties videmus in locis

locis praecipue V. T. poeticis, vim singularem iis tribui, quae aut ornatus gratia tantum dicebantur, ut adeo redundant, aut augebantur, ut vehementissimus affectus dicentis hoc clarius pateret, aut parallela inter se ponebantur, ut res uno non intellecta, per plura verba manifestior fieret. Quare semper mirandi sunt, qui, ut hoc utar, nimis urgent substantia hebraica נפְשׁ, לֵב, בָּשָׂר, כֶּה, דָּר et sic porro, quae saepius ex Ebraismo redundant. Fit enim hoc ornatus gratia. Atque non minus iidem reprehendendi sunt tum, cum in varia significacione verborum חסָד, אַמְתָּה, צְדָקָה reliquorumque, uno in loco occurrentium, laborant, cum in omnibus pietatis notio insit, et omnia simul interdum sumantur, ut hoc minus dubitari possit, quin de vera pietate sermo agatur. Eodem tandem modo fit generis huius abusus ab iis, qui emphasis rerum vident, ubi ne verborum quidem adest. In quo genere deprehendimus ut pluriuum eos errare, qui ambitum vniuersae cuiusdam doctrinae mox ex sententia aut periodo quadam cogunt, cum vident partis cuiusdam in ea mentionem fieri, quo pertinent illa, quae antea iam diximus (§. IV. p. 14. 15.) Atque hic non veremur affirmare, exemplis, quibus haec res illustrari posset, abundare ipsam ABRA. CALOVII *Απόδειξιν articulorum fidei ex Scriptura Sacra*, et GVIL. LYSERI *Systema Thetico-Exegeticum a IO. GE. NEVMANNO primo editum*. Quam enim alienum esse putemus a sententia Spiritus Sancti, si quis cum LYSERO ex I. Cor. XV, (25, 26, 27, 28.) demonstrationem accuratam imperii Iesu Christi in regno *gratiae* efficere velit? aut cum eodem in *Hof.* XIII, 4. mortis *naturalis*, *spiritualis* et *eternae* mentionem inuenire? Sed exemplis in re manife-

nifesta adeo opus non est, et facile erit cuique, eorum, quae diximus, iudicium ad singulos locos scripturae, seu potius lapsus dogmaticorum in iis, transferre.

§. VIII

Quartus abutendi modus qualis?

Subsistamus nunc in eorum acumine, qui in libro quo-
uis Scripturae fidei dogmata quaevis non solum inue-
niant probabili opinione facta, sed etiam de consilio Sp.
Sancti omnium in vno libro argumenta posita esse cre-
dant, quo etiam diximus (§. II.) abusum locorum Scri-
pturae probantium fieri. Atque possemus hic quidem
magna recitare nomina, si adeo necesse esset, et non
per se notum. Illud quidem (cudit enim hoc maxime
in disputationis huius necessitatem) verissimum esse cen-
se, potuisse Deum, si pro sapientia sua voluisset, in
paucorum versuum libro omnia ea, quae ad veram feli-
citatem ducant, non minus clare, perspicue atque perfe-
cte tradere, quam patet factum id esse in plurimis. Sed
nunc cum contra fecisse reperiatur, et doctrinam vniuer-
sam plurimis libris comprehensam habeamus, nonne cre-
dendum sit, singulare sapientiae diuinae consilium in eo
quaerendum esse? At enim dicent, quis hoc neget?
Hoc idem nos veneramur, quibus certum est, sic sapi-
enter prouidere voluisse benignissimum Numen nostrae
imbecillitati, vt hoc saepius eandem rem repetitam lege-
remus, eaque per quosquis libros vaganti vbique in ocu-
los incurreret. Atque sic noui multos disputare, in eo
que adeo ponere quandam Scripturae sacrae *perfektio-*
nem, vt dicant, eam talem esse, qua non solum omnia

con-

contineantur ad fidei vitaeque certam regulam pertinentia, sed eadem etiam in libris singulis Scripturac. Sed non placet haec eorum disputatio. Ferrem, si dicent, Deum ita nobis consuluisse, ut vbique reperiamus, quod augeat cognitionem nostram, alat fidem atque amorem, incitet ad studium pietatis atque animum pascat. Nam quemadmodum in toto regno naturae videmus hunc ordinem a Deo seruari, ut variae terrae regiones non eadem vitae alimenta producant, non eadem situs amoenaitate animum recreent, non iisdem denique deliciis abundant, etsi singulis sua alimenta, suae amoenitates, suae deliciae sint; sic plane eundem ordinem sapientissime constitutum videmus in hoc vestissimo gratiae thesaurario. Sunt enim hic non minus omnia certo ordine disposita, variis in locis recondita, nullus locus quidem sterilis, neque tamen omnes eodem modo fertiles. Ut adeo sapientiam istam non intelligent, qui in singulis libris omnia doctrinae christianaee capita a Sp. S. proposita legere sibi videantur. Itaque non errabimus etiam, si affirmauerimus, quod per se adeo patet, neminem ex sententia Spiritus Sancti, capita de vocatione, conuersione, de iustificatione et bonis operibus adeo accurate et plene tractasse, praeter PAULLVM; neminem iterum locum *de regeneratione et vitae sanctimonia* adeo absolute, praeter IOANNEM; neminem denique piorum affectuum in omnem hominis vitam imperium oratione adeo significante expressisse, praeter DAVIDEM. Itaque in horum singulorum ratione probanda, de sententia Spiritus Sancti ad singulos quoque recurrentum nobis erit. Atque totum hoc nisi verissimum sit, non video, quare amplius,
nobis

nobis ingredientibus librum Scripturae, necesse sit, de consilio Auctoris in vniuersum multa anxie quaerere.

§. IX

Brevis enarratio causarum varii huius abusus.

Est vero nunc proxime id agendum, ut, cum de variis modis abutendi Scripturis constet, inquiramus quoque in *causas* eorum; quas si recte intellexerimus, satis habebimus praesidii, quo nos contra illos tueamur. Faciemus tamen quasi compendium curriculi vnice eas commemorantes, quae specie quadam doctrinae aut pietatis fallant, adeoque a paucissimis in iis habeantur. Itaque hic non adeo dicemus, *indictum versionum usum*, *ignorantium linguae utriusque hebraicæ atque graecæ, barumque non satis animaduersam cum reliquis aut etiam secum ipsis analogiam, praeiudicium denique auctoritatis, mirum in modum hanc Scripturis abutendi temeritatem parere.* Est enim hoc satis iam dictum ab aliis, in primis a S. V. STEMLERO loco supra laudato, et in tanta luce litterarum dubium non est, quin omnes per se videant. Quare nos huius mali poneamus causas in primis tres easque ita, uti quaevis prior existere solet, collocabimus: ut sit *prima* vitium quoddam puerilis institutionis, eam deinde sequatur inuersa Theologiam discendi ratio, atque his utrisque *tandem* accedant leges interpretandi aut male intellectae aut plane fictae. Atque de his singulis nunc sigillatim videbimus.

D
§. X

§. X

Vberior explicatio primae huius abusus caussae.

Ponimus vero vitium puerilis institutionis, in quo pri-
mam causam huius abusus quaerendam esse diximus,
maxime in ea eius ratione, qua sit, vt loci primarii Scri-
pturae nobis hauriendi sint ex vulgaribus libellis, in qui-
bus non tam doctae, quam piae institutioni prouisum
est. Ut adeo in his multa librorum diuinorum testimo-
nia laudentur, quae aut plane non ad rem propositam
pertineant, aut quorum tamen a magistris Scholarum ve-
ra vis non explicetur. Ad quam rem accedit vitium vi-
riliis aetatis, quod sit eiusmodi, vt difficulter ea dedi-
scamus, quae a pueris dedicimus, ne coacti sumus fateri,
nos puerili quadam leuitate errasse. Atque utrumque hoc
quam vere a nobis affirmetur, facile sit cuius ex suo
sensu iudicare. Sed insunt etiam in priori illo vitio plu-
ra alia quae tanquam a matre nascantur filiae. Inde
enim mox oritur praeiudicium auctoritatis, versionis ger-
manicae nimia reverentia, studium repugnante lingua ac
textu Originum ea efficiendi, quae in versione habeas, et
quod summum est, pruritus philosophandi in Scriptura
Sacra ad quem iam a prima iuuentute adductus sis ab
iis, qui vt tibi persuaderent han̄ vel illam doctrinam
in hoc vel illo loco male usurpato contineri, ratiociniis
arte factis yti coacti essent. Itaque mihi, qui ab hoc
pruritu vere absum, nunquam res bene cessit, si pro
concione Catechumenis meis locum eiusmodi propositae
quaestioni conuenienter explicare tentarem, semper
que existimau, satius fore, si totum agmen locorum
male sic in libris vulgaribus positorum, magis ad pios
v̄sus

vsus adhibeatur, et, cum tamen semper vnuſ locus vere probans adſit, hic in primis copiosius explicetur. Atque cadit omnino in interpretes harum institutionum id, quod HIERONYMVS de patrum explicationibus in controverſiis ex tempore factis in *Apol.* adu. 10 VIN. scribit, *interdum coguntur loqui non quod sentiunt, sed quod necesse est.* Sed cogitemus quoque diligenter, quod idem ille Vir magnus alio in loco sapienter monet magnum esse discriminem inter γνωστικῶς, hoc est, cum ad popularem intelligentiam accommodate loquimur, et δογματικῶς, cum veritas subtilius linatur Scripturam sacram explicare, si que adeo in puerilibus gymnasmatiſ nostris, testimoniiſ Scripturarum non satis firmis munita atque circumvallata quasi fides nostra reperiatur, eam firmemus institutione docta provectionis aetatis. Sed dicit hoc ad proximam causam huius abusus explicandam.

§. XI

Vberior explicatio secundae huius abusus cauſae.

Itaque nunc porro videamus, quomodo inuersa Theologiam descendī ratio nouam, in laudandis Scripturae locis argumentorum theologicorum, labendi occasionem suppeditet. Solent nimirum, qui huius discendaſ cauſa academias frequentent, ante omnia id curare, ut primo statim anno compendiariam doctrinae christianaे cognitionem auferant, neque facile erit, qui in eo negligens reperiatur. Omnes Dogmaticen crepant. Nemo est, quin eius studium maxime ſibi necessarium putet. Hoc demum ſi factum ſit, ad Exegeſin sacram addiscendam pergunta, quo tamen nihil cogitari potest, quod

D 2

fit

sit magis inuersa vera ratione institutum, et magis Scripturariae Theologiae perniciosum. Videamus quomodo ! Si quis anteponat studium dogmatis studio interpretandi, *primo* aliter fieri non potest, quam ut multa secum afferat ex illo ad hoc , quae ipsi persuadeant fidetas esse leges , quas tamen verissimas esse antea facile credidisset. Finge enim quendam a bono dogmatico suo praceptorre audiuisse , quae de beata visione Dei in vita aeterna Scholastici docent. Atque eum nunc pone in Exegeſi audire, tropum inesse huic Φεάτοι, ex consuetudine hebraica, eaque indicari singularem *Dei tutelam*, *qua quis fruitur, plane insignem coniunctionem cum Deo, quam quis habet, valde singularem diuinæ præsentiae usum, quo quis reliquis præstat!* Putesne hunc tibi adeo facile crediturum esse ? Semper in animo ei haerebit doctrina ante ex libro compendiario hausta. Abiicit regulam tuam, atque suam de beata visione Dei fidem, qualem intelligere edocet sit, ex locis consuetis probare perget. Fit enim hoc quotidie. Huic malo, ex inuersa, quam affirmamus, Theologiam discendi ratione oriundo, proximum est hoc, quod sic prohibetur, quo minus si vel maxime leges veras ediscamus, earum usum adeo magni faciamus vana ista persuasione ducti, nos eos locos iam explicare posse, quorum in Theologia praecepimus usus sit. Quasi vero non accidere possit, ut unus aliis locus reperiatur nobis adhuc ignotus, qui iam cognitos omnes vi sua supereret ! Et quid si tibi probem, hunc vel illum locum tibi non recte explicatum esse ? Quomodo tunc ages ? Recurres ad interpretandi leges ? Visne hoc ? Si ita : quare non potius primum ad eas cures, antequam recurrentum sit. *Est tandem et hoc animaduertens-*

uertendum, qui sic anteponant dogmatum interpretandi studio, nunquam satis ab auctoritatis in ipsa Scripturae interpretatione praeiudicio sibi cauere posse, hisque ut plurimum accidere, ut in confirmatione dogmatum Scripturae proprias leges interpretandi imbibant, quas quisque eorum, a quibus instituuntur, sequitur. Hi, si ante artis interpretandi perito operam dare voluissent, hoc maiori cum fructu quemuis alium deinde dogmata docentem adire possent, certumque mihi est, eos tunc facile vitia interpretandi, quae quisque *analogia fidei* tegit, salua hac, detecturos fuisse. Itaque videmus etiam valde inuidiosum omni tempore fuisse nomen eorum, qui nil praeter *dogmaticen suam* intelligerent, quibusque sati esset, si non plane ab ea desererentur, ut est in proverbio, *poteſt suam dogmaticen*. Patet praeterea ex his omnibus simul sumtis, non male a nobis praecipuam causam abusus locorum probantium Scripturae in inuerso hoc Theologiam discendi modo positam esse. Ut adeo optime a B. MOSHEMIO suasum sit, *in moderamine studii Theologici germanice post mortem eius edito*, ab artis interpretandi doctrina vniuersi huius studii initia ducere. In quo adeo huic credant, qui mihi credere nolint. Et quis etiam in re tali multis monitoribus egeat! In disciplinis enim reliquis omnibus, patet hanc viam atque rationem teneri, ut ab studio linguae atque interpretandi demum ad rerum ipsam doctrinam accedamus. Est tamen aliquid, quod huic disputationi auctorii loco superaddere possimus, ut etiam hoc probabilior fiat. Solet nempe frequenter admodum accidere, ut male habeant vere pii etiam atque docti Theologi, si certa interpretandi regula aliquis ductus, locum Scriptu-

D 5

rae

rae interpretando ad aliud dogma transferat, quam sit hoc, cui probando eo vtuntur. Hic mox affirmant, primarium sibi praesidium argumenti alicuius eripi. Unde vero primarium esse probabunt? Scilicet aiunt, obtinuisse locum eiusmodi longa quasi temporis praescriptione usum in hoc fidei capite. Auctoritatibus vtuntur magnorum Theologorum. Multa συσίματα recitant, in quibus eidem capiti confirmando adhibeatur. Sed de legibus interpretandi, vtrum iis sit conueniens recepta interpretatio, nec ne, plane silent. Hoc vt tibi ostendant, non curant. Et quam non hoc luculento est testimonio illius praeiudicij; quod, in fraudem veri usus locorum Scripturae, ex inuersa studii Theologici methodo oriri affirmavimus.

§. XII

Vltimae huius abusus cause accurasier disputatio.

Restat, vt ad eam quoque huius abusus causam expli-
candam accedamus, quam in quibusdam male intel-
lectis, aut plane fictis interpretandi regulis quaesiuiimus.
Harum si nunc dicere velimus, copiam magnam esse et
probabile etiam disputando efficeremus, foret id quidem
non ab hoc loco alienum, sed tamen non adeo necesse.
Vt itaque modum quendam huic disputationi statuamus,
satis habebimus, quatuor maxime commemorasse leges,
a quibus, cum nullae maioris auctoritatis reperiantur,
hoc magis sibi cauere debeat bonus, quem Scripturae
optamus atque fingere instituimus, Topicus. Itaque
quando praecipiunt, *Scripturam sacram ex se ipsa explicandam esse*; aut, *eandem interpretandam ex analogia fidei*; aut, *Scripturae verba semper in amplissimo suo sensu sumenda*

menda esse; aut denique, esse in Scripturae interpretatione non a propria significatione recedendum, nisi summa cogat necessitas; in his omnibus apparebit, male consuli vñui docto locorum Scripturae, ex quibus argumenta doctrinae omnis sumenda sint. Vt enim primis duabus pessime abutuntur, vt itaque satius fuisse eas plane non posuisse, ita ultimis duabus ne recte quidem vti possunt.

§. XIII

Lex prima quomodo vero vñui LL. Scripturae obfit.

Quod itaque ad primam legem attinet a nobis commoratam me non latet, eam, si recte explicetur, magno vñui esse in controversiis de religione aduersus homines profanos quosuis, maxime eos, qui plane nouas significationes fingant, aut obscurius aliquando dicta ad suum errorem trahant. Atque haec tenus putem, eam a Veterum Theologorum doctrina positam fuisse. Sed qui eos post secuti sunt, multa alia cum eadem comprehendunt. His enim Scripturam ex Scriptura expicere, est, curare hoc, vt saepius idem in locis aliis reperias; vt, abiecta accurata linguae cognitione, eius rationem vnicę ex Scriptura discas; vt sine habita ratione temporum, locorum, personarum, generis scribendi atque modi, quod cum quodam adiuncto semel dictum sit, semper eodem modo accipias; vt tandem Noui Testamenti cum Veteri nexus vbiique atque in omnibus, si vel maxime alia omnia repugnant, quaeras atque inuenias. Itaque, vt in postremo hoc reprehendendi initium faci-

faciamus, vbique typos rerum personarumque et even-
 tuum N. T. in Veteri vident. Inde fit, vt non dubitent
 Dauidi v. g. nihil fere proprium relinquere, vt adeo haes-
 sitare possimus, an vnquam talis vere extiterit. Sed est
 hoc ob ea, quae iam aliquoties diximus, plane non fe-
 rendum. Et est tamen id, quod ex ista lege proxime
 sequatur. Eadem porro quam non fallit multos, dum
 non satis animaduertunt esse varios scribendi modos in
 ipsis scriptoribus sacris, et praecipue in V. T. historicis
 atque dogmaticis libris, qui posteriores maxime Poëti-
 tici sunt. Vnde enim, nisi hoc adeo sit, fieri putemus,
 vt רְכָר Iehouah in figurata dictione *Dauidis*, iis idem
 sit, cum λόγῳ in simplici oratione *Iohannis*! Vnde por-
 ro accidere posset, vt Hymno XVI. in verbo לילות poë-
 tice grauissimas Seruatoris calamitates pingente quaer-
 ant, an sit proprie explicandum et vere etiam multi de
 nocte in monte Oliueti explicit. Etsi hic neque sensu
 poëtico ad intelligendum opus sit, cum non vnius no-
 ctis sed plurium (לילות) mentio fiat. Si nunc
 porro addunt, adeo linguae Scripturarum cognitionem
 ex his ipsis hauriendam, fieri aliter non potest, quam vt
 hoc in maximum detrimentum doctae et verae interpre-
 rationis cadat, sitque in primis periculose Topicis
 Theologiae ex Scripturis. Finge enim hos edoctos esse,
 verbum ἐκλογὴν in Scripturis N. T. electionem ad salutem,
 iterum ad ecclesiam externam significare, quid his fieri, si
 Paulum in Thess. I. 4. de electione suorum certo loquentem
 audiant? Quisnam hic alias locus Scripturae eos doceat,
 idem verbum aliquando hoc sensu sumi, quo alias κλῆ-
 σις dicatur? Itaque mirum quomodo in hoc loco Cal-
 винianis eripiendo se torqueant, Scripturam ex Scriptu-
 ra

ra hoc modo interpretantes. Ut non dicamus minus reuerenter hoc ab iis fieri, si statuant, linguam vtramque ex ipsa Scriptura ita addisci posse, vt satis habeamus ad eam interpretandam. Quasi vero Grammaticam nobis scribere voluisse Sp. sanctus et non potius fidei vitaeque regulam praecipere. Itaque, vt ne diutius hac lege male in locis probantibus Scripturae vtantur, eam sic proponamus, vti id factum est ab HIERONYMO lib. I. adu. Pet. (p. m. 120.) dum dicit: *testimonia Scripturae aliis comparanda sunt, ne sibi Sp. S. pro qualitate locorum et temporum videatur esse contrarius.*

§. XIV

Lex secunda quo modo abusum commemoratum

pariat.

Proxima huic lex, ex qua non minor locorum Scripturae abusus oriri solet, ita ponitur, vt sit *interpretanda Scriptura ex analogia fidei*. Iam in appellatione ipsa analogiae fidei faciles simus et concedamus, posse ea comprehendendi, ad quod praecipue indicandum a Veteribus inuenta fuit, et si certum sit PAVLVM in ea usurpanda alium sensum secutum esse. Atque iidem non repugnabimus posse hanc legem recte intellectam et in loco usurpatam magno in interpretatione librorum diuinorum usui esse. Sumemus nobis potius hoc, vt planum faciamus, quam difficile sit ea recte vti nunc, cum pau-

E

a

ci eam intelligent, quemadmodum certum est, qui sic
praeceperunt, intelligi voluisse. Hi enim quando ana-
logiae fidei mentionem usurpabant, ad quam Scriptura
interpretanda esset, pronunciata quaedam revelationis, co-
gitabant, ita evidentia, ut semel audita assensum extorque-
ant, quaeque simul sumta eiusmodi sint, ut cum iis sin-
gulae doctrinae comparandae sint nihilque verum esse pos-
sit, quod cum his pugnet, contra omne id credendum;
quod per ea requiratur, et si humanum ingenium causas et
modum ignoret. Eiusmodi pronunciata intelligo, quan-
do Scriptura affirmat, omnes peccasse; *Deum omnium*
velle salutem; *Iesum Christum omnibus seruatorem da-*
tum esse; praeter hunc nullum alium, sive expetendum,
sive expectandum esse. Ex his et paucissimis aliis effatis
Scripturae simul sumis cogebant id, quod esset dice-
returque analogia fidei. Si nunc praecipiebant, ex hac
analogia interpretandas esse Scripturas, neque primarium
neque unicum interpretationis *omnis* subsidium in eo
ponebant, verum eius tantum, qua opus esset in locis
controversis, verae doctrinae aduersariis eripiendis. Ita-
que, ut hoc utar, recte aduersus defensores absoluti de-
creti toties hanc legem vrgemus, quoties ex locis ob-
scuriорibus argumentantur. Est enim certum hoc, *Deum*
omnium salutem velle; quo semel posito audacter dici-
mus, analogia non patitur; alia interpretatio quaeren-
da erit; locus sic intelligendus; sic fert analogia. Atque
horum doctrinam si imitari voluissent, qui post sequuti
sunt, reprehendendi non essent. Sed dum videntur
eos sequi verbo eodem videntes, dici non potest, quam
longe ab iis recedant, in ipsa analogia fidei cogitanda expli-

explicandaque. Sunt enim *primo*, qui cum ea totum non solum corpus doctrinae christiana comprehendant, verum etiam quasi qualitates quasdam, quae a pulcherrimo corpore abesse possunt toto vel tunc manente: ut sunt quaestiones multae de quibus in utramque partem disputari potest. Itaque, cum certum sit, et admodum euidens, I.C. omnibus seruatorem datum esse, hi tanquam aequum certum addunt, *bunc seruatorem semper tanquam Deum cognitum ab omnibus fuisse, eundem per omnem scripturam V. T. in loco quovis praedictum*, et sic porro. Inde fit, ut ad analogiam fidei scripturam interpretantes, hoc vnicie querant, ut in quocumque loco V. T. diuinitatis I. C. testimonia reperiant, et praedictiones de eo factas in infinitum augeant. Quod dici non potest, quam sit a docta interpretatione alienum et accusato usui locorum Scripturae, quos tractamus, repugnans. Quomodo enim non pugnare putemus cum hoc usu, si quis toties de Christo sermonem esse affirmet, quoties in libris Vet. Test. verbum משיח reperiatur, etiam in locis iis, in quibus omnia vincunt, populum Israeliticum esse intelligendum, ut HYMNO XXVIII. 8. HABAC. III. 13. Fit tamen semper ab his, qui de analogia fidei, quemadmodum dixi, iudicant, et quibus hoc est interpretari Scripturas ad eandem. Sed reperiuntur porro alii, qui huic fidei analogiae imminent humani ingenii coniecturas, quibus ex locis male intellectis haustis nunc id tribuunt, ut iisdem Scripturae interpretatio conueniens esse debeat. Ex quo oritur longe maior abusus locorum Scripturae. Sed quod vix credendum sit, faciamus uno exemplo allato,

vt vel ii ipsi credere cogantur, qui maxime his conie-
cturis delectentur. Aliquoties iam diximus in iis effa-
tis Scripturae, ex quibus simul sumtis id cogatur, quod
analogiam fidei appellant, esse etiam hoc, *Christum*
esse omnibus seruato rem datum et nullum alium praeter
bunc aut expetendum et expectandum esse. Potueritne Deus,
si sapientiae eius visum fuisset, antequam hominum sa-
lutem per Filium suum restaurare decreuisset, alia via
vti et modum alium sequi, id eiusmodi est, vt aut
plane non quaerendum sit, aut, si quaeratur, potius
affirmari quam negari debeat. Ita enim non solum ar-
bitrio diuino ius suum relinquitur, sed sit etiam consil-
lium diuinum, de redimendis per Christum hominibus,
ita magis venerandum et admirabile, vti maius sic de-
prehenditur esse *βαθος πλευτου amoris diuini.* Sed ta-
men cum priuum haec quaestio mouebatur, constat
iam tum multos fuisse, quibus non sine impietate hoc
dici posse videretur, et plures etiamnum esse, quibus
non satis fit dixisse, *neminem praeter D. N. I. C. a Deo*
ad propositam nostram salutem perficiendam destinari potu-
iisse, sed qui hoc ita quoque verum esse velint, vt si-
ne eo tota analogia fidei imperfecta iudicanda sit. Res
aperta est, inquitunt: locus euidens, qui id probet in
HYM. XLIX, 8. et 9. Hic clara sunt verba; *nemo alterum*
redimet, neque quisquam Deo λύτρον soluat. Est enim ita
perfectione difficultis haec redemptio, ut nunquam de ea cogitan-
dum sit. Atqui teneamus eos conuictos! res aperta est:
euidens locus, qui probet, eos meras ingenii sui con-
iecturas, ex locis malis intellectis ductas, fidei analogiae
immiscere: clara sunt verba. Ex quo enim illi reme-
diū

dium salutis in I. C. nobis propositum necessario a Deo eligendum fuisse cogunt, vniuersum orationis argumentum, eius vtrinque coniunctio, vsus denique linguae, haec omnia, inquam, nos cogunt, ut moriendi necessitatem intelligamus, cui omnibus parendum sit, adeo ut vel opulentissimus mortis periculum subire debeat, neque ullis diuitiis possit vitae longiorem possessionem acquirere. Ita enim נס כוננְתָּם cum שׁמַּנִּים sumitur Exod. XXX. 12. et verbum פֶּרֶה saepius (cf. Hym. XXXI. 6. XXXIV. 23. LXXI. 23.) Sed haec alias. Iam illud animaduertamus, quomodo ad hanc fictionem analogiam fidei Scripturas interpretantes testimonii earum abuti soleant. En! tibi unum, in quo maxime hic abusus cernitur, in oratione PETRI Apostoli in *Actis* IV. 12. Hic quando Apostolus affirmat, *praeter I. C. neminem reperiri, a quo vera salus ad nos perueniat, hunc unum esse perpetuae felicitatis auctorem*, intelligitur sane, alios redemptores ab eo excludi, postquam is semel Dei consilio destinatus sua morte pro nobis satisfecit. Sed non aequa intelligitur Apostolum his verbis voluisse Dei, in decernendo salutis auctore, arbitrium tollere. Quid itaque sibi volunt, qui in institutionibus dogmaticis aut commentariis vtrumque hoc intelligi iubent? Nonne vim loci praeter sententiam Sp. S. augent, qui erat tertius abusus a nobis supra (§. VII.) commemoratus? Interpretantur ramen ex analogia fidei! Tunc hoc credas? Sed conferre iubent locum ex Psalmis! Quem scilicet non intelligunt. Nonne vides? Itaque videbis etiam hoc, recte a nobis affirmatum esse, interpretationem Scripturarum ex

E 3

ana-

analogia fidei multis impedimento esse, quo minus testimoniis vere diuinis in loco vtantur.

§. XV

Lex tertia quomodo sit causa huius abusus.

Sed in omni hoc abusu nullum Exegetarum solum ab omni tempore fertilius fuisse certum est, quam eorum, qui affirmarent, *Scripturae verba ubique in amplissimo sensu sumenda esse*, aut, *tantum ubique significare, quantum significare possint*. Atque aduersus hos plura disputari a nobis quidem necesse non est, cum id copiose factum sit a *Ioanne Alfonso TURRETINO* in aureo libello de *methodo Sacrae Scripturae interpretandae*, et aliis. Ipse etiam *COCCEIUS* suo exemplo satis manifestum dedit, quam incerta omnis *Scripturae interpretatio futura* sit, quamque saepe numero contra consilium Spiritus Sancti, si eum sequi velimus. Sed parit ea in primis abusus tertii et quarti modi a nobis explicatos. Nam vim orationis per eam ubiuis augeri, quis amplius dubiter, cum ipsa adeo emphatica sit? Vnum porro librum *Scripturae ad omnia dogmata probanda*, eam probanti, sufficere, quis non sentiat, si illud ubique tantum audiat? Ut adeo mirum sit, multos hanc interpretandi libidinem praecepsis coercere, et tamen exemplo suo imitari. Eos puta, quibus semper in ore sit, *nata τὸ ἐπτὸν locum sic accipiendum esse*, sed tamen *nata τὴν διάνοιαν* alio quoque

que trahi posse. Sitne hoc de sententia Spiritus Sancti interpretari, qui, cum hominibus agens, non putari potest ita loqui voluisse, ut unus tantum, aut duo, aut etiam tres COCCBII eum intelligere possent. Sed monenda haec amplius non sunt, qui nobis id tribuerint, ut, quae de ipsa abutendi locis Scripturarum ratione preecepimus, sibi persuaderi patientur.

§. XVI

Lex quarta quomodo in his causis abusus LL.

Scripturae ponenda sit.

Veniamus nunc ad quartam preeceptionem, quam in legibus interpretandi, hunc abusum parentibus, a nobis numerari videoas. Est ea haec, si dicant, a propria significacione verborum non recedendum esse, nisi summa cogat necessitas. Atque seponamus paulisper nostram de abusu locorum probantium disputationem, atque in vniuersum id quaeramus, ex quo pateat, eam *falsam, ambiguum*, denique ad *vsum minime aptam* esse. Fingitur itaque hoc primum ab iis, si propriam significacionem raro deserendam esse affirment, cum multa in Scriptura repellantur vocabula, quae raro in *propria sua significacione* occurrant. Et quis neget hoc, si cogitet, dogmata in hac proponi, quorum vis saepius non aliter, quam per tropum exhaustiri poterat? Quoties non Deus dicitur indurare hominem? Sequere nunc propriam verbi

verbi indurationis significationem, si potes ! Quoies
porro idem dicitur verbo **רָפֹא** *visitare homines* ? Tene
propriam significationem, et nihil intelligas. Sed enim
dicunt, addimus, *nisi summa cogat necessitas*. Audio.
Sed sic video quoque, totam hanc regulam porro *ad
vsum minime aptam fieri*. Nam quid hoc est dicere, nisi
summa cogat necessitas ? Haec summa necessitas *vbi erit*?
nonne cuius faciliter sit, fines eius pro suo arbitrio exten-
dere ? Impera *Manichaeo*, ne illud indurare de Deo *vsuper-*
patum proprio sensu sumat, cum cogat necessitas ab eo
recedere. Semper tibi dicer, me non adeo cogit neces-
sitas. Habeo in promtu malum quandam Conditorem,
cui hoc tribuam, a quo Bonus meus longe absit. Sic
per longas ambages te regula tua ducet, et eo adigit,
ut meliorem interpretandi legem quaeras. Tandem di-
cimus, eam non minus *ambiguam esse maxime tam*,
cum ab aliis, difficultates *propriae significationis in ea*
statutae, sentientibus, ita proponitur : effe a maxime v-
sitata significatione non facile recedendum. Quaenam enim
haec maxime v sitata significatio ? Vtrum ea, quae maxi-
me solennis in Scripturis sit, aut quae in vita commun i
antequam lingua vsuperari desisset, plurimum frequentare-
tur ? Haec posterior certe non. Itaque prior. Sed si
nunc tres aequae frequentes vsu Spiritus sancti esse repe-
riantur ; quam tunc existimemus, maxime v sitatam esse ?
Quare haesitas ? Fatendum velis nolis tibi est, te male
ad interpretandum praecepsisse. Sed transferamus nunc
ea, quae vniuerso diximus, praincipue ad rem proposi-
tam. Fingamus nunc nobis interpretem talem ad dog-
matum confirmationem accedentem. Demus ei, vt hoc
vtar,

vtar, locum ex epist. ad Hebr. XIII, 8. atque eum iubemus, ut nobis ostendat, quaenam fidei doctrina in eo affirmetur. Mox aderit, atque dicet contineri eodem firmissimum argumentum pro salutis ordine uno eodemque in V. atque in N. T. Est enim, perget, maxime vicitatum χρήσις in uniuersum de praeterito tempore, οὐπερέον de praesenti dici, neque illa cogit necessitas, quare eam consuetudinem hic deserere velimus. Si nunc maxime ei dicamus, summam necessitatem cogere, cum proverbialis locutionis χρήσις καὶ σύμβολον, tum verborum εἰστάσεις αἰώνας; vnde adeo absurdum hoc sequeretur, ut Christus in vita aeterna non minus, quam in hac, via salutis sit, semper tamen negabit, eam summam esse. Faciamus itaque, haec quoque regula ut magis accurate praecepiatur, atque adsequemur hoc, si dicamus, primo non est recessendum ab ea significazione verbi, quae in libro quodam diuino creberrime usurpetur, nisi ex omnibus adiunctis pateat, aliam in loco quodam ei tribui; deinde, a sensu litterali non est recessendum, nisi plane repugnans aliquid inde sequatur. Sic proposita atque intellecta hac regula, ea non amplius in vtiltatis locis propriis Scripturae toties labendi occasio erit.

§. XVII

Peruenimus itaque, notio hoc curriculo instituto, ad locum propositum. Atque fuit nobis occasio non solum mores doctis Scripturae interpretibus peregrinos cognoscendi

F

scendi multos, sed etiam intelligendi, quam sit difficile,
cum specie quadam nouitatis se commendent, sibi ab iis
cavere, atque patrios, quos a LVTHERIS, GERHARDIS,
CHEMNITIIS et^{un} tot aliis edocti sumus, sine corruptela
conseruare. Itaque non timebimus propediem nouum
quendam cursum instituere, qui sit vltimus, et quo eo
perueniamus, vbi tanquam in loco tuto subsistere
possimus.



DA A 6630

ULB Halle
002 934 914

3



vd 18

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

TOPICE SCRIPTVRAE

Q V A M

IN ACADEMIA IULIA CAROLINA

M O D E R A N T E

GVILIELMO ABRAHAMO
TELLERO

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO
PASTORE PRIM. AD AED. D. STEPHANI ET
SUPERINTENDENTE GENERALI

A. D. XXXI. MARTII A. C. cL^oCCLXII

D E F E N D E T

CHRIST. AVGVST. HENR. GRVNERVS

G V E L P H E R B Y T A N V S

HELMSTADI
LITERIS DRIMBORNIANIS

